

A Facilitas.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA:

Facilitas *Πασην* Græcè, est promptitudo ad quidpiam absque difficultate & expedite faciendum, sive inclinatio ad eandem. Vbi sub verbo faciendi etiam comprehendimus sermonem vel orationem. Ita dicimus quempiam facilem in carmine, oratione soluta, &c. Differt à propensione, quæ & proclivitas dicitur, quod plerumque hæc accipitur in partem deteriore.

FACILITAS IN IMITANDO
Inveniendò, Docendò, Discendò,
scribendò, dicendò.

*Sub suis locis, Invenio, Imitatio, Disciplina,
Scriptio, Dicitio facilis.*

COMMENTANDO:

Cùm de cæde in sylva Scantia facta publicani accusarentur, & C. Lælius pro publicanis bis dixisset, verum à Ser. Galba melius causam illam defendi posse arbitretur, quòd in dicendo fortior acriorque esset: auctoritate Lelij, publicani causam ad Galbam detulerunt. Ille autem, quod ei viro succedendum esset, verecundè & dubitanter recepit: vnum quasi comperendinatus medium diem fuit, eumque rotum in consideranda causa componendaque posuit. Et cùm cognitionis dies adesset, Petrus Rutilius rogatu sociotum domum ad Galbam manè venit, vt eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret. Galba verò, vsquequo ei nunciatum esset Consules descendisse, omnibus exclusis commentatus est in quadam testudine cum servis litteratis, quorum aliud alij dicitare eodem tempore, & si errassent malè eos multare solebat. Interim cùm esset ei nunciatum, tempus esse, in aedes exiit eo colore, & iis oculis, vt egisse iam causam, non commentatus videretur. Ex quo colligi poterat, illum non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse. Magna itaque expectatione, plurimis audientibus, tanta vi gravitateque dixit, vt nulla ferè pars orationis silentio præteriretur; *Cicero in Bruto.*

VERSUS FACIENDÒ.

L. Anneus Seneca moriens jam in solo aquæ calidæ, Epitaphium carmine sibi ipsi composuit.
Boëtius Severinus Rom. patricius mira fuit in versibus facilitate. *Gyraldus de poetis.*
Cicero dexteritate in versibus condendis animi gratia utebatur. Dicitur, cùm ad id ferretur, carmina facere vna nocte quingenta solitus. *Plutarchus in Cicero. Quære Titulum de Carmine.*

ORACVLA DANDÒ.

Pythia sacerdotes Apollinis nondum rogata ex tempore dictiones aliquando dare solebat. Quippe cui servit; Deus, *ἢ κωφὸν ἔλωιαι ἢ ἔραλέωντ' ἄνασι.*
Et tacitum exaudit, nunquamque intelligit omnem. *Plut. de Garrulitate.*

RES LEVES TRACTANDO.

*In causa facili civis licet esse deserto,
Et minimo vires frangere quassa valent.
Subnere est arces, & stantia membra virtus,
Quilibet ignavæ præcipitata premunt.
Ovidius l. 3. Trist. Eleg. 11. Similiter Manilius ait.
Facile est ventis dare vela secundis,
Facundumque solum variis agitare per arces,
Auròque atque ebori decus addere, cum rudis ipsa
Materies nitescat, &c.*

* Factio. Factiosus.

DEFINITIO ET VSRPATIO NOMINIS, ITEM
FINIS IN
Genere.

Factio & factiosus, teste *Festo*, initio honesta vocabula erant; vnde, inquit, adhuc factiones histriorum & quadrigatorum dicuntur: modò autem nomine Factionis seditio, arma vocantur, *avvayias* imò & *δυσπας* Græcis dictæ Et definiuntur malorum conspiratione, Nonius Marcellus, & opulentiam rerum, abundantiam & nobilitatem, significare Factionem notat; sed maxime factionem dici malorum consensum & conspirationem. Vt & dixit *Salustius in bello Jugurthino*, inter bonos amicitiam: inter malos factionem. Fuerunt enim ab omni seculo ferè vbiq; tales factiones, vel bonæ ad bonum, ad se defendendum, & se mutuo iuvandum; vel malæ ad inuadendum respublicas, aut regnum, aut magnates, aut ad obstitendum iustè vel iniustè potestatibus.

FACTIONVM, ET FACTIOSORVM
EXEMPLA.

Fuerunt in Sicilia factiones partium: & in omni Græcia, vt Doricæ potissimum & Ionicæ. Inter Diores erant Lacedæmonij: inter Iones Athenienses. Athenas quoque in tres factiones diuisas referunt, in Diachreos, Pædios, & Paralios; aliquando in duas, Thucydidis vnam, Periclis alteram: aut in Plebeiorum, cui Poliarchon: & Optimatum, cui Cassander præerat. Nonnunquam in plures & Thessaliæ factiones diuisæ in Egestaretæ & Petieros: & in Argo, Aristippi & Aristæi. Apud Milesios, vna Plutis, altera Chero-macha factio fuit: sicut apud Carthagenenses, Barchina, & Hannonis. *Emilius Probus in Phocione.* Etiam in Circo apud Romanos quatuor genera factionum erant, siue potius quatuor autigantium factiones, pannotum coloribus distinctæ meminit Sidonius.

Micant colores.

Albus, & Venetus, virens, rubensque. Vide Cassiodor. l. 3. Epistol.

Plura exempla petantur ex loco de Inimicitia Tit. Factiones Politicæ.

FACTIONVM EFFECTVS ET FINIS
IN SPECIE.

SUBVERSIO RERVM PUBLICARVM,
Regnotum, &c.

Etiam ex loco allegato pleraque desumi non importundè poterunt, quibus sequentia adiiciemus, è quibus constabit, verum esse illud Baldi Iurisconsulti dictum, partialitatem in civitate & Regno, esse instar vermis in caseo: ac non male Platonem dixisse *lib. 3. In Menexemo*, quod Athenienses, idem obtinet in aliis factiosis: suis ipsorum dissidiis oppressi fuissent. Neque enim alius inter claros viros ac potentes exitus discordiarum esse solet, nisi aut interitus vniversus, aut victoris dominatus.

Olim statum rei Romanæ subvertit crudelis seditio, quæ hinc Cæsarem, illinc Pompeium complectebatur. Quippe inquit, *L. Florus lib. 4. Rer. Romanar.* si duces insipias vniversa multitudo diuisa fuit in partes, & ipse Senatus, & exercitus, hinc vndecim legiones, inde 10. & 8. flos omnis & robur sanguinis Italicæ: itè diuisa auxilia sociorū, Gallici Germanici delectus: hic secuta dominatio vnus Iulij Cæsaris, suis ipsis viribus percute Roman. Republ. Verus est pronubiū: Cœcordia res paruas crescere, discordia maximas labi & corruiere: quæ & de Rep. qualibet dicta esse non ambigitur.

Narrant Historiographi quantum detrimenti Britannia seu Anglia receperit ex factionibus: quas vocant partialitates, domorum, seu familiarum Leucastræ, & de Ioriz. Quantum item in Anglia nocuerit factio duarum domorum Aureliæ, & Burgundiæ, quæ cepit inter Ludouicum ducem Aurelianensem Fratrem Caroli VI. Regis Galliarum,